



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Vtrum detur vera causa materialis accidentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

SECTIO I.

Vtrum detur vera causa materialis accidentium.

Dupliciter de accidentibus loqui possumus: vno modo in abstracto, seu de sola forma accidentali: alio modo in concreto, seu de composito ex tali forma, & subiecto. Et iuxta hanc duplicem considerationem dupliciter potest queri causa materialis accidentis: scilicet, vel componens ipsum, vel sustentans ipsum, aut vnionem ipsius.

Materialis accidentium causa datur.

I. **P**rimo ergo in genere certum est, dari causam materialem accidentium. Hoc patet primo ex Aristotele 12. Metaph. tex. 13. vbi resoluens questionem, quam lib. 3. tex. 15. proposuerat, dicit omnium generum eadem esse principia secundum proportionem; nam (vt Commentator exponit) licet alia sit potentia ad esse substantiale, & alia ad esse accidentale, tamen proportionaliter conuenit in ratione causae materialis. Vnde haec causalitas eadem via, & proportionem demonstratur, qua causalitas materiae primae: imo tanquam nobis notior, prius cognita est, & per proportionem ad illam, vetum est in cognitionem materiae primae, vt supra vidimus. Exprimur enim in eodem subiecto mutationem fieri ab vno accidente in aliud vt a calido in frigidum: ex quo intelligimus dari subiectum, quod vtriusque accidenti subest, & illud appellamus causam materialem accidentis. Nam re vera est causa, quando quidem ab illo dependet accidens: & quatenus subiectum est, non participat aliud causalitatis genus, vt per se constat & magis patebit ex dicendis. Deinde, quia non in omnibus accidentibus sit haec transmutatio, addenda est ratio vniuersalis, quae ex natura entitatis accidentalis sumenda est: entitas enim accidentalis, in se subsistere non potest, sed indiget subiecto, in quo sustentetur: & ideo indiget causa materiali tanquam necessaria ex natura rei, vt esse possit. Quae ratio probat, non solum dari posse causam materialem accidentium, sed etiam omnia accidentia natura sua necessario postulare hanc causam, quia accidentis esse est inesse, vt postea suo loco declarabimus: in ipsa autem ratione inherendi includitur subiectum & consequenter materialis causa.

II. **E**x quo colligitur differentia inter substantiam & accidens, quod substantia etiam creata, non requirit in vniuersum materialem causam, vt supra ostensum est, accidens vero omne illam requirit. Et ratio est, quia ratio substantiae aut formae creatae ex hac praefata, & communi ratione non requirit materiam, cum ex vi illarum rationum non repugnet esse rem substantialem, & simplicem, sed requiritur ex peculiari ratione talis substantiae, nimirum corporis, vel talis formae, scilicet materialis. At vero accidens ex praefata, & communi ratione accidentis postulat materialem causam, quia dicit entitatem ita diminutam, vt natura sua sit inepta ad subsistendum, ac proinde indigentem aliquo subiecto sustentante. Quo fit, vt haec causalitas materialis, etiam ad incorporalia se extendat, nam etiam spiritualia accidentia indigent materiali causa, extenso nomine materialis ultra id a quo sumptum est. Materia enim proprie, & in rigore appellata est materia corporea, & ab ea denominatio materialis sumpta est: inde tamen extenditur ad omnem causam, quae rationem causandi eandem seu proportionalem habet, etiam si secundum entitatem suam spiritualis sit, & incorporea: atque hoc modo accidentia spiritualia, licet in se sint indiuisibilia, & incapacia extensionis quantitativae, nihilominus causam materialem habent. Quin potius iuxta principia diuinæ Theologiae, etiam supernaturalem causam habent. Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

alia accidentia indigent materiali causa, nam quantumvis sint entia perfectissimi ordinis, tamen hoc ipso quod accidentia sunt, indigent subiecto, quo fulciantur. Aduertendum est tamen vltimo, in hac conclusione sermonem esse de propria entitate accidentali, nam modus accidentalis, qui ex se non habet propriam entitatem, sed intrinsecè identifi- catur alicui accidentali entitati, cuius est modus, non semper habet propriam materialem causam, sed illi sufficit ipsa entitas quam proximè modificat, siue illi coniungatur vt subiecto, siue alio modo, q in particulari declarari non potest, nisi explicando varia genera horum modorum accidentalium, quod in discursu huius materiae praestabimus. Et ideo omitto speciales difficultates, quae hic occurrebant de relatione vt relatio est, & de actione transiente vt sic, & de loco, vel aliis formis extrinsecè denominantibus. nam in propriis locis commodius tractabuntur.

Accidens in concreto componitur ex materia, non in abstracto.

Dico secundo: Entitas accidentalis in abstracto sumpta, non habet causam materialem, ex qua intrinsecè componatur, sed hoc modo datur causa materialis accidentis in concreto, seu compositi accidentalis. Hanc conclusionem, praesertim quoad priorem partem, ponunt Soncinas 12. Metaphys. quaest. 26. & lauell. quaest. 8. & significant aliquos sensisse oppositum propter Aristotelem ibi text. 26. dicentem, in omni genere dari propriam potentiam, & actum. Conclusio tamen est certissima, loquendo de propria & reali materia, quia tota entitas accidentalis est quaedam forma: non ergo indiget compositione intrinseca & reali ex propria materia, & forma. Antecedens declaratur, quia tota entitas accidentalis est in subiecto tanquam forma: vnde qui in accidente fingunt dictam compositionem ex materia, necesse est fateantur, illam partem, quam materiam appellant alterius partis formalis, respectu subiecti esse actum & formam saltem partialem. Hinc vero probatur prima consequentia, quia forma, vt forma, non postulat compositionem ex potentia & actu realiter distinctis, vt in substantiis constat, & in speciali de anima rationali superius probatum est. Neq in accidentali forma excogitari potest propria ratio, ob quam illam compositionem requirat: nam licet talis forma constet genere, & differentia, quae per modum materiae & formae metaphysice comparantur, tamen neque in re distinguuntur, nec per se requirunt principia seu fundamenta realiter distincta, vt in superioribus probatum est. Nec vero haec formae accidentales propter suam imperfectionem postulant illam compositionem ex potentia, & actu realiter distinctis, quia res imperfecta, si sit partialis & incompleta, aut forma alterius, potest esse realiter simplex, imo & indiuisibilis, vt punctus, nam simplicitas non semper importat, aut requirit magnam perfectionem, sed tunc solum est signum maioris perfectionis, quando cetera sunt paria: ergo nulla probabilis ratio excogitari potest ad tribuendum accidentibus hanc compositionem.

Adde praeterea, intelligi non posse qualis sit illa materia ex qua intrinsecè componatur forma accidentalis: nam vel est talis vt eadem numero successe sit sub diuersis formis accidentalibus: vel semper transmutatur seu perit cum ipsa forma. Primum dici non potest, alias non solum ex calido fieret frigidum, sed etiam ex calore frigus, & ex amore odium, & sic de aliis, quod est aperte falsum. Item, quia calor actiuus est secundum totam entitatem suam: ergo introducit in subiecto calorem secundum totam entitatem eius, quantum ad illum gradum, quem introducit: ergo expellit oppositum gradum

Bb 2 frigoris

frigoris similiter quoad totam entitatem eius: non ergo expellit tantum partem formalem à materiali, vt in hanc introducat aliam partem formalem oppositam, sed simpliciter expellit totam formam, vel totum gradum contrarium, vt suum introducat. Sicut in mutatione purè priuatiua, vt v. g. in desitione luminis, non perit pars formalis luminis, & manet potentialis, sed absolute totum lumen. Si autem transmutatio accidentis semper fit in tota entitate formæ: ergo illa materia, ex qua finguntur accidentia constare, nihil deseruit ad transmutationes accidentium, neque etiam deseruit vt informant substantiam, nam ratio materiæ ex se potius impedit informationem, quia materia vt sic non est actus actiuus, vt supra diximus. Item non deseruit ad actionem, quin potius impedire potest, ne forma secundum se totam sit actiua, nam materia secundum se non est actiua: cum ergo multæ formæ accidentales sint actiue secundum totam suam entitatem, non constant in se materia & forma. Tandem si accidens ita constaret materia & forma, etiam forma ipsius accidentis constaret materia & forma. Atque ita procedetur in infinitum: si ergo in aliqua sistendum est, vt re vera est, sistamus in prima, quæ sit ipsum accidens, quod est tantum forma, cuius materia est subiectum quod informat. Prima sequela patet, quia non est maior ratio de vna forma, quam de alia, quia vtrique est entitas imperfecta, & incompleta, & forma alterius, & in vtrique concipi potest ratio generica & specifica: est ergo eadem ratio.

V. Et ex his facile patet altera pars conclusionis, quia compositum accidentale intrinsece constat ex subiecto, & accidente, & in ea compositione accidens habet rationem formæ: ergo subiectum habet rationem materialis causæ. Vnde fit, causalitatem hanc respectu compositi eadem proportionem explicandam esse in his compositis accidentalibus, quia in substantialibus illam declarauimus. Ipsum enim compositum est effectus talis causæ, cum ex illa constet, & ab illa pendeat. Ratio vero seu principium causandi est prima potentia, vel entitas, per quam subiectum recipit accidens, de qua potentia, & entitate in sequentibus sectionibus ex professo dicemus. Causalitas vero in re non est aliud, quam vnio accidentalis formæ ad subiectum, nam ea mediante fit, vt ex subiecto & accidente vnum compositum coalescat. Loquimur enim de composito, & causalitate eius in facto esse: nam de causalitate in fieri, statim dicitur. Neque oportet in subiecto accidentis fingere distinctum modum vnionis præter ipsum accidens vt vnium subiecto, quia cum accidens sit in subiecto, non fiunt in ipso subiecto duæ mutationes: vna per informationem accidentis, alia per peculiarem modum vnionis identificatum ipsi subiecto, & propter alias rationes supra factas, quæ hic eandem, vel maiorem vim habent. Atque ita patet tota hæc causalitas respectu accidentalis compositi.

VI.
Occurrit
obiectioni.

Dices, Hoc compositum accidentale est vnum per accidens: ergo respectu illius non potest intercedere vera causalitas materialis. Aliàs omne compositum per accidens consurgeret ex huiusmodi causalitate, quod patet esse falsum in acervo lapidum, vt etiã in domo quatenus constat fundamento, parietibus, & tecto. Respondetur ex supra dictis de vnitate, in entibus quæ sunt vnum per accidens, esse latitudinem, & quædam habere maiorem vnitatem, quam alia. Compositum ergo ex subiecto & accidente, est vnum per accidens, quia constat ex rebus diuersorum prædicamentorum, & ex actu & potentia, non per se ordinatis, sed accidentaliter. Nihilominus tamen illa vnitas quam habet, non est tantum Metaphorica, aut apparens, sed vera & Physica, quia est per veram vnionem & realem vnus ad aliud, & ideo tale compositum vere confurgit per realem causalita-

tem componentium, tum inter se, tum respectu compositi. Aceruus autem lapidum ita est vnum per accidens, vt non habeat veram & physicam vnitatem, sed solum Metaphoricam, vel apparentem (vt sic dicam) & ideo, sicut non confurgit ex vera vnione partium componentium, ita non oportet vt vera causalitas materialis ibi intercedat, sed tantum secundum proportionem, quatenus in situ & ordine vna pars coniungitur alteri. In compositione autem artificiali solet intercedere quædam maior coniunctio & subordinatio partium: non tamen vera & Physica vnio, atque ita neque vera causalitas materialis: quod intelligitur, comparando partes integrantes artificum inter se, nam si compararetur totum artificium ad propriam formam artificialem, quæ est figura, respectu illius est magis propria causalitas materialis, quatenus figura comparatur ad suum subiectum tãquam verum accidens illi realiter vnitum.

Accidens in abstracto educitur, & sustentatur à materia.

Dico tertio: Accidens quoad suam entitatem accidentalem præcise & abstracte sumptam, habet materialem causam, non ex qua componatur, sed à qua sustentetur in suo esse: vnde illa non tantum est materialis causa accidentis quoad vnionem, sed etiã quoad entitatem eius, quam in suo genere causat, mediante vnione: neque etiam est causa solum in facto esse, sed etiam in fieri. Tota hæc assertio sequitur ex præcedentibus à sufficiente diuisione, nam ex prima assertionem constat accidentia indigere causa materiali ob diminutam entitatem quam habent: & in secunda probatum est entitatem accidentalem non indigere hac causa, vt ex ea intrinsece componatur: ergo vt ab ea sustentetur. Imo etiam qui fingunt causam materialem intrinsece componentem accidentia, non excludunt causam materialem sustentantem totum ipsum accidens compositum ex intrinseca materia, & forma: quod est nouum argumentum, falso coniungi illam intrinsecam compositionem accidentis ex materia & forma. Rursus ex eadem diminuta, & imperfecta entitate accidentis, constat pendere à sua causa materiali non solum in vnione, sed in entitate sua, quia in se subsistere nullo modo potest naturaliter. Item quia non minus pendet accidens à sua causa materiali, quam forma substantialis materialis à materia; sed hæc pendet non tantum in vnione, sed etiam in entitate: ergo. Denique hinc etiam concluditur pendere non tantum in facto esse, sed etiam in fieri, tum quia fieri est proportionatum ipsi esse, tum etiam quia actio per quam accidens naturaliter fit, est etiam quoddam accidens pendens necessario à subiecto, in quo vel ex quo fit. Est tamen hoc cum proportionem intelligendum, nã quædam accidentia sunt per propriam actionem, in qua alia vero solum per resultantiam, vel consecutionem ad effectum aliarum rerum: vnum quodque ergo accidens eo modo quo fit, pendet ab aliquo subiecto in fieri, atque ita habet materialem causam suæ effectiōis eo modo quo naturaliter fieri potest. Quid autem sit hæc causalitas, non oportet iterum declarare, nam eadem omnino est, quæ in substantiali causalitate, seruata proportionem.

Quarere vero aliquis potest, an materialis causa vniocce dicatur de illa quæ est substantia, & de causa materialis accidentis. Et ratio cuiuslibet esse potest, quia causa materialis accidentis in se, vel est perfectior, vel est æque perfecta causa materialis substantiæ, nam vel est integra substantia, vel forma, vel ad minimum ipsa materia: ergo etiam in ratione causæ materialis est vel perfectior, vel saltem æque perfecta, quia in hac causalitate causa præbet se ipsam, & suum esse; ergo si in se est æque perfecta, etiam erit in ra-

in ratione causæ. In contrarium vero est, quia esse quod resultat ex hac causalitate, non est esse simpliciter, sed secundum quid nimirum esse accidentale. Item productio, vel generatio accidentis, solum est productio, & generatio secundum quid. Vnio item formæ accidentalis cum subiecto, est tantum secundum quid, utpote accidentalis: sed actualis causalitas materialis consistit in ipsa actuali vnione, vel vnitione, quatenus à subiecto pendet, ergo causalitas hæc respectu accidentis est tantum secundum quid. Atq; ita dicendum est, causam materiale formaliter in ratione causæ analogicè de his causis dici, & principalis de causa substantiæ, materialiter vero rem, quæ causat accidentia, posse esse vel æque, vel magis perfectam. Id vero non satis est, ut in ratione causæ sit perfectior, etiam si per se ipsam intret compositionem totius compositi accidentalis, quia non est inde ratio causæ sumenda, sed ex actuali causalitate quam exhibet, & ex formali esse, quod inde confurgit.

SECTIO II.

An substantia ut sic esse possit immediata causa materialis accidentium.

DE hac causalitate formaliter sumpta, nihil aliud nobis dicendum superest: de fundamento verò talis causalitatis, & de potentia per quam causat, nonnulla dicere necesse est. Cum enim materialis causalitas consistat in receptione, duo ex parte causæ requiruntur, scilicet res quæ recipit, & potentia per quam recipit, quæ possunt vel re, vel ratione distingui. Supponimus autem ut per se notum ex dictis, substantiam esse quasi primum fundamentum, vel primam rem quæ causat materialiter accidentia, quia totus ordo accidentium imperfectus est, & insufficiens, ut in se subsistat: & ideo primum fundamentum, in quo accidentia nitantur, non potest esse aliquid accidens, sed debet esse substantia. Inquirimus ergo per quam potentiam substantia causat materialiter accidentia, an per potentiam accidentalem realiter, aut ex natura rei distinctam ab ipsa; an vero per se ipsam, seu per potentiam ratione tantum distinctam.

Tractatur prior opinio.

II. Quidam enim auctores sentiunt nullum accidens recipi in substantia, nisi media potentia accidentali pertinente ad idem Prædicamentum. Ita sentiunt Soncinas 12. Metaph. q. 26. & lauel. qu. 3. qui dicunt esse in substantia potentiam receptiuam quantitatis, quæ reducitur ad Prædicamentum quantitatis, & aliam receptiuam qualitatis ad Prædicamentum qualitatis pertinentem, vel potius in superficie ipsa ait Soncinas, esse aliquid potentiale de genere coloris, ad recipiendum colorem, quidquid illud sit (inquit) puta Diaphaneitas, vel aliquid huiusmodi. Fundamentum eorum est dictum quoddam Aristotelis 12. Metaph. text. 26. eadem esse principia omnium generum. Quod Commentator exponit de identitate secundum Analogiam, nam quælibet res alicuius prædicamenti, habet illa tria principia, materiam, formam & priuationem, non tamen in omnibus prædicamentis sunt eadem, sed proportionalia. Hinc ergo colligunt, quod sicut in vnoquoque Prædicamento est propria forma, & propria priuatio, sic etiam fit propria potentia, constituens proximum materiale principium illius generis. Vnde recte concluditur, substantiam ut sic non posse esse principium proximum materiale alicuius accidentis.

III. Atq; hinc sumptum est illud axioma; *Potentia & actus sunt in eodem genere, quod à multis, ut primum in Franc. Suar. Metaph. Tom. I.*

Metaphysica principium, recipitur, ob dictum testimonium Aristotelis, cui addunt aliud Commentatoris 5. Phisic. comm. 9. *Potentiam ad vnumquodque Prædicamentum esse in illo genere Prædicamenti, in quo est actus: & 1. de Anim. Comm. 6. Potentiam & actum esse differentias, quæ contingunt omnibus Prædicamentis, & loquitur de potentia receptiua, nam tractat de anima quatenus est actus, & de potentia quæ illi responderet. Eodem principio vtitur Diuus Thomas sæpè, signatim 1. part. quæstion. 77. articul. 1. ubi inquit: Cum potentia & actus diuidant ens, & quodlibet genus entis, oportet, quod ad idem genus referantur potentia, & actus: & ideo si actus non est in genere substantie, potentia quæ dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantie. In quibus verbis & principium illud, & conclusio intenta, & ratio conclusionis contineri videntur. Est autem ratio, quia potentia specificantur per actus: ergo potentia ad recipiendam formam accidentalem sumit speciem suam ab actu ad quem ordinatur: ergo illa potentia non potest esse substantia. Simili enim ratione probauimus supra potentiam materię non esse accidens, sed substantiam: & proportionali discursu concludi potest, potentiam ad recipiendam qualitatem esse in genere qualitatis. Ex qua ratione aliqui extendunt illud principium ad potentiam actiuam, & receptiuam: vnde generatim inferunt, potentiam ad actum accidentalem esse accidens, & referri ad idem genus.*

Substantia se ipsa immediata causa materialis accidentium.

HÆc vero sententia, quantum ad rem præsentem attinet, defendi non potest, nisi fortasse in sensu verborum æquiuocatio sit. Dico ergo substantiam per se ipsam absque additione alicuius rei realiter distinctæ, vel alicuius modi ex natura rei diuersi, posse esse causam materiale immediate in se recipiendam aliquid accidens. Probatur prior pars, quia si substantia recipit quantitatem, verbi gratia, mediante aliqua re distincta, quæ sit potentia ad recipiendam quantitatem, interrogo, an illa res sit substantia, vel accidens. Substantia esse non potest, tum quia alias non esset res ultra totam substantiam rei: tum etiam, quia iam poneretur substantia per se ipsam receptiua accidentis. Si est accidens, ergo est in aliquo subiecto proximo; quæro ergo, an illud sit potentia accidentalis realiter distincta, vel ipsamet substantia: si hoc posterius dicatur, habemus intentum. Si vero dicatur prius, de illo accidente iterum redibit quæstio, & ita in infinitum procedemus, nisi in ipsa substantia tandem sistamus. Et ita est re vera necessarium, nam licet substantia possit vniri alicui accidenti, medio alio, ut postea dicemus, tamen comparando substantiam ad totam collectionem accidentium, non potest illi vniri, media aliqua re, quæ non sit aut substantia, aut accidens: ergo nec esse est, ut aliqua substantia, & aliquid accidens immediate vniantur, id est, nulla mediante re distincta ab extremis vnitis. Ratio denique à priori ex eo sumi potest, quod accidens adiicitur substantiæ creatæ ad perficiendam illam, & supplendum id, quod talis substantia per se ipsam habere non potest: ergo necesse est, ut in entitate talis substantiæ intime includatur capacitas ad recipiendam accidentia: ergo hæc capacitas substantiæ, quæ est receptiua accidentium, ut sic, non potest esse res distincta ab ipsa substantia: vnde quoad hanc partem conclusio posita euidenter videtur.

In altera vero parte, de modo ex natura rei distincto, imprimis non agimus de modo vnionis actualis, de quo supra dictum est, sed de modo (ut ita dicam) potenciali, seu de potentia aliqua ex natura rei distincta à substantia, tanquam modo, & non tãquam